

LIBER PRIMUS

DECRETALIUM GREG. IX.

Cum materialia objecta juris Civilis sint tria: *personæ, res, et actiones* (*§. fin. Ins. de J. N. G. et C.*), personæ autem principem locum teneant, meritò compilator Decretalium ad imitationem juris civilis, præsertim Codicis, præmissis principiis juris, incipit à personis ecclesiasticis, examinando illarum promotionen ad dignitates, ordinationem et varia officia, cuius etiam ordinem hic sequemur.

TITULUS I.

DE SUMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA ^a.

4. *Nota*, præsentis rubricæ duas esse partes, quarum prior agit de mysterio SS. Trinitatis, posterior de Fide Catholica, non formaliter pro habitu, vel actu, quo assentimur revelatis ob auctoritatem Dei, sed objectivè sumpta pro collectione præcipuorum articulorum Fidei.

2. Q. I. *Quid tradatur in hoc titulo?*

R. 4.^o Doctr'na catholica de Deo uno in essentia et trino in personis: de creatione mundi ex nihilo, qua Deus condidit creaturam Angelicam, mundanam seu corporalem, et humanam ex spiritu et corpore constitutam; de mysteriis Filii Dei incarnati, universali resurrectione, ultimo judicio, æterna punitione malorum, et præmio bonorum.—Itèm

^a Agitur de hac materia etiam in *Sexto* et *Clem. eod. tit.*—Item in *Decreto d. 22 per tot. d. 23 cap. 2 et cap. fin. de consecr. d. 3 et cap. pen. et ult. de consecr. d. 5.*—In *Trident. Sess. 3 de Symb.*, *Sess. 24 c. 1 et 12*, *Sess. 15 c. 2 de prof. fidei.*—et in *Codice lib. 1 tit. 1*.

de una universalis Ecclesia, Sacrificio Missæ, ejus ministro Sacerdote, baptismo parvolorum et adulorum, sacramento pœnitentiae, de æterna beatitudine non tantum virginum et continentium, sed etiam conjugatorum per rectam fidem et operationem bonam Deo placentium. Quæ omnia fusius vide in textu *cap. 1. Firmiter h. t.*—Ex his in *c. 2. eodem* damnatur error et libellus Joachimi Abbatis Florentis, qui impugnans Petrum Lombardum magistrum sententiarum, asseruit in Patre, Filio et Spiritu Sancto tres dari essentias realiter distinctas; dici verò unam tantum moraliter unitate conjunctionis et conformitatis. Ejus tamen persona non damnatur, cum omnia scripta sua judicio S. Sedis submisserit.—Itèm in fine damnatur perversissimum dogma impii Almarici, natione Galli, patria carnontensis, quod in textu non exprimitur, sed ab aliis refertur, quod scilicet Dei Patris gubernium non extendat se ultra legem Mosaycam, Filii ultra novum testamentum, cuius jam suo tempore finis esset, nunc verò tempus sit Spiritus Sancti, cuius gratia omnis homo, licet plurima peccata committat, salvatur sine suo actu.—Itèm quod verum Corpus Christi non sit magis sub Eucharistia, quam in alia qualibet re etc.; quam doctrinam non tam haereticam, quam insanam censuerunt Patres in Conc. Lateran. sub Innoc. III. an. 1215. celebrato. Solet autem hoc Concilium in jure canonico dici *Generale* sine addito, non antonomasticè, quia non videtur præferendum primis Conciliis generalibus, sed sinecdochice et appropriative.

2.^o Traditur in *c. un. fidei. h. t. in 6.* contra errorem Graecorum, Spiritum S. procedere à Patre et Filio, non tamquam ex duabus principiis, sed tanquam ex uno principio, seu uno spiratore, non duabus spirationibus, sed una spiratione. Quod definitum est in Conc. generali Lugdunensi II. sub Gregorio X. an. 1274. Denique in Concilio Vienn. à Clem. V. an. 1314. definitum est, Filium Dei verum corpus humanum ex Maria Virgine assumisse, in eo passum, et jam mortuum lancea perforatum: reprobatur ibidem doctrina tanquam haeretica eorum, qui dicunt animam rationalem non esse verè ac per se humani corporis formam: ultimò definitur confitendum esse unum baptismum, et approbatur sententia illorum theologorum, qui docent *tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes*, (*Clem. unic. h. t.*)

3. Q. II. *Qua potestate Imperatores tulerint constitutiones de SS. Trinitate et Fide catholica, uti sunt illæ, quæ in Cod. tit. 1. referuntur?*

R. Imperatores non condidisse has constitutiones auctoritate principali, cum res fidei excedant potestatem politicam; sed hortatu Episcoporum et Pontificum, tanquam exequutores et defensores sac. canonum contra violentiam haereticorum; ad quorum pertinaciam frangendam plerūque non sufficit sola potestas Ecclesiastica, nisi adjuvetur per potestatem sæcularem Principum catholicorum, tanquam advocatorum et defensorum Ecclesiae.

4. Q. III. *Qui specialiter obligati sint ad externam professionem Fidei catholicae?*

Certum est quemlibet fidelem ad eam obligari jure naturali et divino, dum illam exigit honor Dei, aut religionis, et Ecclesiæ catholicæ, aut salus proximi: *Matth. 10. v. 32. Qui confitebitur me etc. Jam:*

R. 4.^o Jure humano (*Conc. Trid. sess. 23. cap. 2.*) tenentur ad illam promoti in Patriarchas, Primate, Archiepiscopos et Episcopos in prima synodo provinciali; aliòquin à communione illius, qui fidem istam profiteri noluerit, ceteri Episcopi, admonito Rom. Pontifice, abstinere debent. Hoc praeceptum renovavit Gregor. XIV. Constit. *Onus Apostolicae* (13. Martii 1591.) Hodie professio fidei et juramentum obedientiae solet ab Episcopis praestari coram Papa, vel ejus delegato.—2.^o Tenentur ad illam provisi de beneficio curato, vel canonicatu, aut dignitate Ecclesiae cathedralis: illi coram Episcopo, aut ejus Vicario; isti coram Episcopo, vel Vicario, et capitulo: Trident. Sess. 24. c. 12 de reform. ubi utitur: *aliòquin prædicti omnes provisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* Ex quibus verbis communior sententia contra Sanch. et Barbos. (*de Off. Episc. alleg. 61. n. 28.*) colligit, quod Canonicci isti et curati, culpabiliter omittentes professionem fidei intra bimestre, eo elapo, fructus perceptos in conscientia teneantur restituere, etiam ante sententiam judicis: nam dispositio Trident. non est propriè penalis, sed conditionalis, concedens fructus sub conditio ne emisse professionis; ergo si haec conditio deficiat, fructus percipiuntur tanquam alieni; alienum autem restitui debet ante sententiam. Quia vero dispositio ista odiosa est (*arg. reg. odia in 6*) non debet extendi ad Canonicos non curatos Ecclesiae collegiatae, nec ad provisos de capellania vel portione in Ecclesia cathedrali, nec ad distributiones quotidianas, cum nomine *fructuum* in materia odiosa veniant soli fructus grossi.—3.^o Ad professionem fidei tenentur Prælati regulares ex Const. Pii IV. *Injunctum* (1564. *idib. Nov.*), quæ tamen non ubique est usu recepta. Item promovendi in magistros, doctores, et artium liberalium professores, sive Clerici sint, sive laici, ex Constit. Pii V. *Sacrosancta*; sed neque haec ubique recepta est.

Ad fidei professionem tenentur etiam Deputati ad beneficia curata Ordinis S. Joan. Hierosolymit. (*ex decr. Cong. Conc. 14. Jan. 1708. relat. in Thesau. resolut. ejusdem Cong. ab anno 1739. ad 1740.*)

Sede Episcopali vacante, facienda est à canonicis et dignitatibus cathedralis nedum coram capitulo, sed etiam coram Vicario capitulari, (*DD. relata à Reiffenst. lib. 1. Decretal. tit. §. 8. n. 568.*)

Omittentes, vel debito modo eam non emittentes, licet non faciant fructus suos, lucrantur tamen distributiones pro horis, quibus intersunt (*ex decr. 9. Febr. 1726. in Cathacen. relat. in dicta thesaur.*)

Nota, quod condonatio fructuum male perceptorum ob hujusmodi omissionem fieri nequit ab Ordinario, sed à Sede Apostolica, quæ eos condonare solet, si omissa fuerit, vel male emissa bona fide, injuncta aliqua elemosyna arbitrio Episcopi, vel confessarii juxta plura exempla relata *in fol. ejusdem Cong. 17. Aprilis 1728. in Toletana*, cum onere eam. emittendi, vel repetendi, si male emissa fuerit, coram capitulo et Episcopo juxta decreta relata 6. *Decem. 1738. in Capuana professionis Fidei.* Ita tenentur eam repetere provisi Romæ, qui ex Indulto Congr. Conc. illam emiserunt coram urbis Vicario, quando ob locorum distantiam coram Episcopo et capitulo intra duos menses à die possessionis emittere non poterant, ut de praxi testatur Benet. XIV. in Institut. Ecclesiast. *Instit. 6.*

Parochi verò, si eamdem emiserint Romæ coram Datario, neque amittunt fructus, neque coram Episcopo tenentur illam repeteare (*ex Decr. Cong. Conc. 26. Maii 1739. in Tolentina ad dub. 4. relat. in fol. ejusdem diei in citat. Thesaur. pag. 162.*)

Cum Tridentinum non decernat cui sint applicandi fructus ob omissionem professionis Fidei, Garcias (*de benef. part. 3. cap. 3. num. 41. et 42.*) dicit applicandos esse fabricæ Ecclesiae, vel alio loco pio in habentibus fructus distinctos et separatos à massa capitulari; in habentibus verò eosdem fructus in massa communī, distribuendos esse inter ceteros Canonicos.

Corrigendi sunt DD. asserentes fieri posse per procuratorem, attentis pluribus contrariis decretis (*relat. in d. Cathac. et Tolet.*)

Omissa vel ob ignorantiam, vel ob imprudentiam, non excusat saltē in foro exteriori, (*Navar. lib. 2. consil. 7. num. 2.*), neque excusat contraria consuetudo respectu provisorum à Sede Apostolica (*Benedict. XIV. Inst. 30. §§. Nos quidem et Quod si parochus.*) Illam omittens non juvatur regula 36 Cancellariae de triennali; cum enim haec constituta sit non ad obviandum hæresibus, ut onus professionis Fidei, sed ad convalidandum titulum, possessionem, ceteraque beneficii jura, quibus provisus minimè privatur per dictam omissionem (*ut ex Decreto Congreg. Conc. 2. Septembr 1591. relat. à Gallemart. in declarat. ad Triden. c. 12. sess 24. de reform. num. 7.*), non extendenda est ad convalidandum dominium fructuum, quos Trident. ob ejusmodi omissionem declaravit restitutioni obnoxios, *ut in cit. cap. Navar. cons. 7. num. 1. et DD. relat. à Ferraris in Prompta biblioth. verbo-Canicus art. 4. num. 27. et seqq.*)

Licet ex Trid. (*citat. Constit. Pii IV. et ex decr. Cong. Conc. in dicta Cathacen.*) non teneantur ad hanc professionem Canonici collegiatarum, aliisque beneficia, etiam simplicia obtinentes; tenentur tamen vigore legum in omnibus ferè diocesibus statutarum. Sic in locis, quos complectitur Concilium Romanum celebratum à Benedicto XIII. ann. 1725. ad eam tenentur sequentes sub pœnis in dicta Pii IV. Const. latis, aliisque Episcoporum arbitrio statuendis:

1.^o Episcopi, aliique de clero recens Ecclesiasticis de beneficiis provisi, aut sacris Ordinibus initiati in diecœsanæ synodo primo celebranda.—2.^o Dignitates et Canonicatus obtinentes post adeptam possessionem, tum in manibus Episcopi, vel ejus Vicarii generalis, tum in capitulo infra bimestre.—3.^o Beneficia cum animarum cura habentes, post ipsorum possessionem, infra idem tempus, in manibus tantummodo Episcopi, vel Vicarii Generalis.—4.^o Quicumque alia beneficia simplicia obtinentes.—5.^o Item novus Vicarius Generalis, Vicarii foranei, procuratores et promotores fisci Episcopalis, cancellarii, ceterique ministri ejusdem curiæ.—6.^o Novi concionatores, etiam Regulares—7.^o Novi confessarii, etiam monialium.—8.^o Docentes publicè, vel privatim theologiam, philosophiam, jus Canonicum, aut civile, vel inferiores quaslibet disciplinas, etiam grammaticam.—9.^o Ac tandem medicinam, et chirurgiam exercentes **.